

Texte

Transkription und Seitenkonkordanz aus Salmerón, Alfonso, *Commentarii in evangelicam historiam et Acta Apostolorum: Addita est Auctoris Vita per Petrum Ribadeneiram*, Bd. 1, 16 Bde. Coloniae Agrippinae: Anton Hierat & Johann Gymnich 1612.

Offensichtliche Fehler wurden unter Berücksichtigung von Salmerón, Alfonso, *Commentarii in Evangelicam historiam, & in Acta Apostolorum: in duodecim tomos distributi.*, Bd. 1, 12 Bde. Madriti: Apud Ludouicum Sanchez 1598 behutsam berichtigt.

Der zugehörige Aufsatz ist erschienen in Sander, Christoph, „Alfonso Salmerón über weltliche Wissenschaften im Dienste der Bibelexegese“, in: *Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie* 64, Nr. 2. (2017): 344–60.

/97/ Canon XIII.

Linguarum trium cognitio, et earum phrases, et idiotismi bene noti magnum ingerunt lumen studiosis Scripturarum lectoribus: non solum ad ignorantiam propriarum significationum, quas nomina, et verba, praepositiones, et adverbia habent, propulsandam, et clarius literam, proverbia, et voces ambiguas, et aequivoce distinguendas, et cavendas, textus, et nominum corruptiones, et similitudines, et enigmata percipienda; verum etiam ad sensus mysticos, et spirituales suavius accommodandos, et stabiliendos, qui sine literalis sensu plane comperto, et explorato, non nisi dure, et violente applicantur.

Canon XIV.

Ad intelligentiam Sacrarum literarum commodius percipiendam plurimum adiumenti afferunt omnes bonae artes, et liberales disciplinae: ut Dialectica, Rhetorica, utramque Philosophia, tam Naturalis quam Moralis; Musica, Arithmetica, Geometria, et Astrologia naturalis; Historia quoque animalium, plantarum, aromatum, lapillorum pretiosorum, quibus quam plurima mysteria in Scripturis comparatur, commoditatem non modicam praestat. Hinc Origines in Cantica Canticorum pulchre scribit: 'Nisi naturas animalium sic intelligere deberemus, nunquam dixisset in Evangelio Salvator: Dicite vulpi illi; neque Ioannes: Generatio viperarum; neque Propheta Iudaos mulierosos, equos adhinninetes nominasset, et admissarios.' Haec ille fere. Adde etiam Chronicon, id est historiam temporum, et Annalium, locorumque geographiam, quae ad accipienda multa /98/ de situ Hierosolymorum, et de Iudea tota sive terra Promissionis, et de circumuicinis populis, et Gentibus, quas Iudaea ad Orientem, et Occidentem, Aquilonem, et Austrum habet, Scripturis ipsis maximam lucem adferunt. Profecto sine Dialecticis praesidio vim argumentorum, et disputationem Christi, et Apostolorum cum adversariis vix capere valeremus. Sine cognita animantium natura, quis librum Iob assequi queat, non video. Sine lapidum pretiosorum notitia, et distinctione, quis caperet quae Exod. 28 et Ezech. 28 et Apocal. ult. dicuntur? Sine historia plantarum, aut arborum, aut herbarum, aut aromatum, quis similitudines quae ab eis petiuntur in tota Scriptura, et praesertim in Canticis Canticorum, et Ecclesiastici 24 apprehenderet? Sine historia temporum, et Regum, et maxime eorum, qui monarchiam tenuerunt, quis non videat, omnia caeca caligine involvi? Quis libros Regum, et Paralipomenon, et Propheticos libros, maxime Daniele explicare possit? Denique sine medicina, agriculture, aut pasturae, aut mercaturae peritia, aut aliis etiam vilioribus artibus, quibus regnum coelorum simile perhibetur, quis parabolarum Domini sensus, aut aenigmata evolveret? Ut merito Scripturae tanquam reginae, caetera omnes artes, disciplinae, atque scientiae ancillari debeant.

Canon XV.

Scholasticae Theologiae studium, in quo brevi compendio, ac certa methodo multarum rerum, quae tum in Scripturarum studio, tum in doctrina, et lectione veterum Patrum latissime, et fusissime pertractantur, veritates assequimur, non est hominis Catholici respuere. Nam contemnere, haeretici est, et prorsus de Ecclesia Catholica male meriti, quae hoc genus Theologiae multis modis amplexata est. Cum autem hoc genus Theologiae commendo; nolim ut quisquam in illis studiis consenescat, sed moderatum, et certum tempus illis disputationibus impendant, ut ad meliora, et suaviora Sacrarum literarum studia tempestive perveniat. Quidam enim ita illis studiis immodice haerent, ut ad meditandas Scripturas et tardi accedant; et aridi prorsus, et ieiuni inveniatur.

Canon XVI.

Etsi turpe sit incircuncisos nulla cogente necessitate in Ecclesiam Dei introducere, hoc est Ethnicos, et profanos autores: in explicanda tamen, et tradenda aliis Scriptura, possumus ex eorum scriptis, sive sint Poetae; sive Oratores, sive Historici, sive Philosophi, nonnihil decerpere: quemadmodum Paulus et Arati, et Menandri, et Epimenidis testimonia protulit. Daniel cap. I describitur eruditus omni sapientia, cautus scientia, et doctus disciplina; et Moyses teste Stephano, eruditus omni sapientia Aegyptiorum: quod egregie ponderavit Oecumenius eo in loco. Et plerique ex veteribus Patribus egregiam operam navarunt, et ad confutandos Gentiles, et ad propugnandos nostros, et ad confirmanda Fidei dogmata, Philosophorum armis usi sunt, atque ab illis tanquam iniustis possessoribus multas veritates in usum nostrum transtulerunt. Nam in adducendis Platonis testimoniis ad nostra firmenda, Greci veteres Patres multi sunt: ut, Clemens Alexandrinus, Iustinus, Eusebius: ex nostris vero praecipue Augustinus, Thomas vero Peripateticam Aristotelis doctrinam, quam a iuvene sua imbiberat, frequenter producit, ut nostra dogmata vel eleganter explicet, vel fortiter constabiliat. Hinc Basilius in homil. De humana Christi generatione: [griech. Zitat] Idem in Hexameron: 'Oportet plerumque nos ab alienis quandam Fidei confirmationem accipere ab bonorum operum demonstrationem. Nam quemadmodum vites claviculis sustentantur; ita et fides externis disciplinis fulcitur.' Damascenus quoque tradit: 'Si autem ab iis qui foris sunt, decerpere quippiam utile valuerimus, non aspernabile est. Efficiamur probati trapezitae, legitimum, et purum aurum acervantes, adulteratum autem refutantes. Sumamus sermones optimos; deo autem ridiculos, et fabulas alienas canibus proiciamus. Nam plurimam ex ipsis contra seipsis fortitudinem habere valebimus.'

Canon XVII.

Etsi a Iudaeis et Rabbinis Grammaticae Hebraeae, et dictionum significationes magna ex parte petere liceat: tamen, Ne, ut dici solet, sutor ultra crepidam, sensus Scripturarum sacrarum ab eis non sunt requirendi: 'Caeci sunt, et duces caecorum; caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.' Idcirco Iudaeorum, qui post Christi adventum scriptitarunt, et Sacras literas interpretari conati sunt, glossae, interpretationes, sive sint Talmudicae, sive Cabalisticae, omnino sunt deferendae, et contemnendae a Catholico Sacrarum literarum tractatore: quia aut parum, aut nihil succi habent; aut, quod deterius est, magna ex parte nihil sunt aliud, ut Patres veteres testantur, quam fabulae, deliramenta, et humana figmenta ad obscurandas Scripturas excogitata, et ad offundendas tenebras clarissimis oraculis, quae Christum concionantur; et ad debilitanda /99/ vaticinia, quae Prophetae de mysteriis de Novi Testamenti praecinuerunt: ut latissime superius ad satietatem usque comprobatum reliquimus. Audi Gregorium Nazianzen. quid ille in Apologetico de Iudaeis sentias: 'Quid autem de illis dicendum est,' inquit, 'qui ad tertium genus partinentes propter imperitiam, et quae hanc comitatur temeritatem, instar suum adversus quamcunque doctrinam feruntur, et bonas veritatis margaritas pedibus proculcant?' Haec ille? Caeterum Iudaeorum scripta ad hoc tantum utiliter legimus, ut forma contra eos argumenta ex his quae tradunt constemus.

/329/ Prolegomenon XVII.

An Humanarum disciplinarum perceptio aliquid adiumenti habeat ad intelligentiam sacrarum literarum.

Saepe apud veteres Patres in dubium revocatum fuit, num disciplinarum humanarum cognitio, ut Rhetorices, Dialectices, utriusque Philosophiae, tam Moralis, quam Naturalis, Metaphysicae, et similia, aliquid ad intelligendas, vel explicandas Scripturas conferret: nostro quoque secula Haereticis urgentibus, et vetera omnia fastidientibus, dubitari coeptum est, an Scholasticae Theologiae studium plus obsesset sacrarum literarum intelligentiae, quam prodesset. Quamvis hoc spinosum, et contentiosum Theologiae genus, ut illi vocant, ex parte aliqua divinum sit, et de Divinis mysteriis edisserat: quia tamen rationibus, et argumentis humana arte adinventis, et in refutando et confirmando procedit, humanum redditum est, ob eam causam de studio tam illarum humanarum disciplinarum, quam huius Theologicae scientiae simul erit nobis agendum, eamque Theologiam nunc inter scientias humanas, etiamsi minime sit, ut explicabitur, computabimus.

Obiiciunt igitur quidam, viam hanc, que in addiscendis his disciplinis ponitur, longam esse, et totam hominis aetatem requirere, antequam ad Scripturas degustandas quis possit accedere. Deinde, via est prepostera, nimirum per spiritum humanum, quo scripserunt autores, velle indagare Spiritum sanctum, quo scripserunt Prophetae, et Apostoli. Tertio, via est periculosa, quia disciplina humanae multis erroribus, et falsitatibus admistae sunt, plurima habent carnis fomenta, quae lasciviam alere possunt, multa etiam per ambitionem, et Philoniciam, et philautiam pronuntiata, atque adeo etiam propugnata. At per errorem, superbiam, et carnis licentiam, ad purissimam illam, et veritate, et humilitate refertissimam sacrarum literarum notitiam nequaquam pervenitur. Ad haec, via est obscura, et multis tenebris obducta; ut qui per eam ad splendidam, et lucidam Bibliorum lectionem contendit, ei non sit dissimilis, qui per tenebrosam nubem Solem intueri, aut per parvum candelae lumen de mole, et magnitudine Solis iudicium ferre vellet. Praeterea, via haec est contentiosa, et rixosa, de singulis dubitare docens, et ratione duce de quibusvis contendere, antequam alicui assertioni certum assensum quis praebet. Paulus item eam methodum videtur reprobasse, cum scripsit ad Coloss. 'Videte ne quis vos decipiat' (vel, ut Graeca habent, 'ne quis vos depradetur') 'per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.' Quid enim aliud addiscat homo ex Aristotele, quam de mundi aeternitate, et de Dei ad haec singularia, et inferiora providentia, deque animi immortalitate dubitare? aut quid aliud ex eius adytis percipiet, quam Deum esse infinitum quidem duratione, vigore vero, sive virtute finitum, ex necessitate, et non ex proposito operantem? De Creationis vero veritate ex eo quod ex nihilo nihil fiat, minus recte, et Catholice sentire addiscet. Adde quod Apostoli, ut habemus apud Clementem Rom. in Constitu. Apostolicis, tradiderunt, atque hanc legem sanxerunt: 'Abstinete ab omnibus Gentilium libris, quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falsis Prophetis? qua quidem leves a fide abducunt. Nam quid tibi deest in Lege Dei, ut ad illas Gentium fabulas confugas?' et reliq. Porro Tertullianus noster antiquissimus scriptor, Philosophos, Haereticorum Patriarchus appellavit. Ut igitur huic dubitationi plene satisfaciamus, statuendi est in primis, duas extremas esse sententias, et id circo declinandas circa Humanas disciplinas:

[/330/](#) alteram quidem Lutheri, omnes tales scientias dogmatizantis, errores esse inutiles, et fidei perniciosos, eo quod Christus illis usu non sit, neque in Apostolos eos eligit, qui eiusmodi disciplinis praediti essent. Nocere praeterea contendit eiusmodi disciplinas, quae solam rationem ducem sequuntur, cum Scriptura, et Fides tantum dicentis autoritate, non autem rationis praesidio nitantur. Denique multos ex studiis illis Philosophicis prodiisse haereticos,

qui Ecclesiae pacem, et serenitatem perturbarunt: ut fuerunt Marcion, Valentinus, Origines, et Arriani.

Altera opinio opposita, et extrema, sententia est, eiusmodi hominum scientias esse non solum utiles, sed et necessarias ad Fidem Catholicam, et Scripturam sacram intelligendam. Tum quia 'Invisibilia Dei, a creaturo mundi, per ea qua facta sunt, intellecta, conspiciuntur:' sempiterna quoque eius virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Et ad Corinth. 'Nam quia in Dei Sapiaentia non cognovit mundus per Sapiaentiam Deim, placuit per Deo stultitatem praedicationis salvos facere credentes.' Ubi disciplinas Philosophorum, vocat Sapiaentia Dei. Tum etiam, quia patres omnes, et Doctores, illas disciplinas sunt amplexi, atque Scripturas illustrarunt: non tantum Graeci, et Latini, sed etiam ex Hebraeis, Aristobulus Peripateticus, Philo, et Iosephus, qui disertissimi scriptores habentur. Tum denique, quia ratio naturalis Fidei nequaquam adversatur, et Fides non est contra, sed supra rationem ideo Fidei inservire potest, secundum illud: 'In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.' Imo illarum bonarum artium praesidio Dionysius Areopagita, et Iustinus martyr, uterque Platonius, et fidem susceperunt, et acceptam progugnarunt: et Augustinus noster, lecto Ciceronis Dialogo, qui Hortensius est inscriptus, a Manichaeis ad Christi fidem suscipiendam defecit. Adsunt praeterea quidam Aristotelicae doctrinae plus aequo dediti, atque addicti, non aliter fuisse Christi Praecursorem in naturalibus scientiis Aristotelem, quam fuerit Ioannes in gratuitis, et supernaturalibus mysteriis: eumque mordicus tenendum, ubi veritati Fidei non adversatur. Sed haec extrema omnino vitanda sunt, et declinanda, mediaque via, ac regia ingrediendum: quam tribus assertionibus omni acceptione dignis explicandam curavimus. Quartum priores duas, quid sit de disciplinis humanis sentiendum, postremam vero, quid de Theologiae Scholasticae studio tenendum sit, fusiori oratione expeditimus.

Haec igitur sit prima Assertio: Ad Fidem suscipiendam, et vitam aeternam adipiscendam, nobis sine ullis disciplinis, sive Aristotele, sive Platone, satis est Christus, quia fides solo Deo revelate infunditur, ab eo solo augetur, atque perficitur, secundum id, 'Domine, adauge nobis fidem': Illique acceptam ferre debemus gratiam, qua legi eius facientes satis, ad vitam aeternam pervenitur. Atque in hunc sensum Apostolus dixit: 'Non enim iudicans me ferre aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum: etiamsi reprobatum sit ab edificandis, et mundi sapientibus tamquam scandalum, et stultitia.' Huius autem veritas solidas probationes multas adducere, si vellem, sane possem: 'Ego sum', inquit, 'ostium: per me si quis introierit, salvabitur' et 'Ego sum via, et veritas, et vita.' Qui ergo per aliud aut Philosophiae, at legis Mosaicae ostium putat in coelum posse contendere, similis est aedificantibus turrim Babel, qua a se constructa putabant coelum conscendi posse: qui tamen

confusi sunt, et Dominus eorum cogitationes dissipavit. Est etiam illa firma ratio ad hoc idem comprobandum: quia si tantum disciplinis humanis dediti aditum sibi facerent ad fidem, et salutem, profecto paucissimi essent, qui salvi fierent, et Deu parcus, angustique cordis Salvator a nobis existimari posset, qui viam tam arctam, cuius infiniti propemodum minus sunt capaces, ad vitam aeternam comparandam proposuit. Sed in hac assertione magis corroboranda plus insistere non putavi operae pretium.

Secunda veritas sit: Ad sacram Scripturam rectius, et plenius intelligendam, illustrandamque, atque ab aliis eam cum fructu proponendam, et explicandam, atque a contradicentibus propugnandam humanae disciplinae valent plurimum, ornamentumque maximum Ecclesiae Dei praestant, si, ut par est, bene quis eis utitur. Nam etsi fidem per se gignere non valent, ad illam tamen percipiendam disponunt, ut constare potest ex Iustini Martyris, et Augustini exemplis. Nam prior ille sententia quadam Platonis, alter vero Dialogo Ciceronis perlecto, ad Gentilitatem, et Haereson errores deferendos, et ad fidem amplectendam, excitati sunt. Fidem tamen iam a Deo infusam, eiusmodi artes ingenuae confirmant, ita ut qui credit, eo perveniat, ut intelligat quam sint Scripturam dogmata credibilia, et omni acceptione digna, et ut sciat reddere rationem de ea, quae nobis est in spe, et fide. Hoc vero inde in primis corroboratur [/331/](#) quia cum homo qui credit, ratione peditus, per fidem nequaquam destruit, sed perficit, et superiori lumine illustrat rationem: Gratia siquidem non destruit, sed perficit naturam. Inde est quod rationibus, et disciplinis rationalibus in fide confirmatur. Etenim omne verum vero consonum est, ut testatur Philosophus, et utriusque luminis, tam rationis, quam fidei, unus autor est Deus. Nisi quod lumen naturale per creationem inditum est: gratuitum vero, et supernaturale per revelationem: de quo lumine illud intelligitur a quibusdam ex veteribus Patribus: 'Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine', quanquam eam sententiam nonnulli ex Scholasticis ad naturale lumen nobis insitum referant. Ut autem unum et idem lumen sibi esse contrarium nequit, ita nec rationi fides.

Sed quemadmodum lumen rationis: et lumen sensus a Deo sunt homini tributa, nec sibi repugnant, etiamsi lumen sensus non pertinat ad omnia, quae videt lumen rationis, sed debet sensus rationi subesse in his quae sunt huiusmodi, ita rationis, et fidei lumina a Deo sunt, etiamsi lumen rationis non tantum perspiciat, quantum lumen Fidei, etsi, ut dixit Ambrosius, omnis veritas, a quocunque dicatur, a sancto Spiritu sit.

Deinde idem a sacrae Scripturae natura astruimus: quae ita a Deo temperata est, ut ad sui intelligentiam exigit naturam humanam, id est, rationem, et artem, et gratiam Dei, et per consequens omnes disciplinas, et artes humanas, quarum actionibus, et exemplis ad nostram emendationem frequenter utitur. Exigit etiam motus, et operationem gratiae Dei in anima, et

in Dei Ecclesia operantis, sine quibus vix capitur; ita ut sicut omnia sunt propter electos, ut et ipsi salutem consequatur, ita etiam omnes scientiae, et disciplinae debeant illis inseruire. Et sicut Magnus tradit Basilius, solent tinctorum, ut perfectum colorem purpurae panni inducant, inferiorem alium colorem praemittere, super quo aptius exprimatur color ille perfectus: ita de disciplinis humanis praemittendis ante divinam scientiam iudicandum est.

Tertio convenit, ut homo differentiam Dei, et hominis in loquendo agnoscat. Nam ut elegans, et speciosa foemina conspectis aliis non tam pulchris, speciosior, at formosior apparet: et in coloribus ater, et fuscus supponitur, ut alii appareant, et emineant: ad eum plane modum Scripturae sacrae splendor, et pulchritudo nisi cognitio Philosophorum defectibus, et erroribus in disciplinis tradendis minime detegitur: 'Sunt enim cogitationes mortalium timidae, et incertae providentia nostra.' Hinc per Hieremiam dicit Dominus: 'Quid paleis ad triticum? Numquid non verba mea sunt quasi ignia, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?' Sunt enim hominum verba instar palearum, quae nihil firmitatis habent, et tantum ad externam, et belluinam hominis partem pascendum accomodata: Dei vero gravia, atque solida, perinde atque triticum, et quae hominem ratione praeditum valeant fatiare. Sunt item illorum verba mortua, et frigida: Dei vero viva, et ignis efficacia. Illorum lasciviae, et carni, sensuique servientia: 'Dei vero eloquia casta, argumentum igne examinatum.' Denique illorum verba infirma, et ad declinandum a malo, et ad amplectendum bonum imbecillia: dei vero, ut malleus fortis solida, et quae conterunt eos, quae ipsis petris sunt duriores. Proinde ut non decet Regnam solitariam ingredi, sed gloria eius est, ut comitatu puellarum, et aliarum nobilium foeminarum stipata incedat: ita nec sacram Scripturam decet sine aliarum disciplinarum, et scientiarum choro, quas tanquam ancillas vocavit ad arcem, procedere. Et ut Reginae aliquid affirmanti pro sua auctoritate, etiamsi non probet, statim ob omnibus fides accomodatur, nisi certis rationibus, vel testimoniis comprobata reddant quae afferunt: Ita sane nec Philosophis loquentibus fidem nostram adiungimus, solis vero sacris literis, vel uno aliquo verbo aliquid, quantumvis magnum, et incredibile humano sensu enuntiantibus, omnimodam et plenam fidem adhibemus.

Quarto; usui sunt quam maximo disciplinae humanae, ut Haereticis paralogizantibus, et daemonibus tentantibus, et scrupulos in fidem ingerentibus, et Philosophiae scientia ad falsa confirmanda abutentibus, fortius resistamus, illosque profligemus. Nam ut corporalibus armis pro corporum defensione utimur: ita rationalibus gladiis, hoc est, liberalibus disciplinatis contra eos, qui nos seducere conantur, utendum est. Et ut nemo artem gladiatoriam, nisi prius illa didicerit, novit: ita nec perfectam Dialecticae artem, aut Philosophiam quis possidebit, nisi prius illam perdidicerit, et tanquam alter David superbi Goliath caput proprio ense valaet

praecidere. Solent enim nostri Doctores illis ipsis disciplinis, quibus Haeretici, vel infideles gloriantur, et que nobis /332/ obiiciunt, illos petere, suisque armis spoliatos pervincere. Quare quod Isaias dixit: 'Constabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces', ita quidam interpretantur, ut instrumenta illa, quibus Philosophi, et Haeretici Ecclesiae bellum indicebant, hoc est, Dialecticam, Rhetoricam, et Philosophiam, et similia alias doceant per Christinae militiae duces, et Doctores, Athanasium, Basilium, Gregorium, Hilarium, Hieronymum, et Augustinum, de manibus illorum esse extorta, et in instrumenta colendi humanorum cordium terram conversa, dum in intelligendis Scripturis, et in praedicando Evangelo illarum studium assumunt.

Accedit quinto loco, quod Moyses dum versaretur in aula Pharaonis, omni sapientia Aegyptiorum eruditus fuit: et Daniel dum in domo Nabuchodonosor maneret, in omnia disciplina, et scientia Chaldaeorum instructus fuit: Paulus vero, qui ad pedes Gamalielis Hebraeas literas perdidicerat, Graecorum quoque autorum literaturam attingere non dubitavit: unde etiam dum Christum concionatur, aut scribit, nunc Arati, nunc Menandri, nunc Epimenidis testimonia producit. Quid dicam de veteribus Patribus, Dionysio Areopagita, Celemente Romano, et Alexandrino, Iustino Martyre, Origine, Eusebio, Basilio, Hilario, Hieronymo, et Augustino, qui non tantum in Dialectica palaestra, et eloquentie curriculo, sed etiam in Platonica, et Aristotelica Philosophia exculsi, et ad miraculum usque exercitati fuerunt? Usque adeo, ut Hieronymus in Epistola ad Magnum urbis Romae oratorem tradat, in dubium esse revocandum, an nonnulli ex predictis Patribus maiores in Scripturam cognitione, an vero in secularium literarum peritia extiterint. Nam multi illorum ante christum agniti in illis disciplinis doctissimi, ac locupletissimi fuerunt: quidam vero post fidem in Christum illa studia sunt consecrari, sed ita parce, ac moderate, ut docerent nos, eiusmodi bonas artes sobrie, et prudenter imbibendas esse, nam multis erroribus solent esse admixtae. Certe Origines, ut Historia tradit Ecclesiastica, libenter de dogmatis Philosophorum, ac placitis disputabat apud auditores; quo ita sibi viam premuniret, et occasionem captaret ad eos Christo lucrificandos et B. Catharina ab infantia liberalibus disciplinis exulta fuit, et maximos sui temporis sapientes ad se revincendam Regis Maxentii opera evocatos, acerrima, et mirabili disputandi vi, atque energia, et confutavit, et ad Christum amplectendum et mortem pro eius fide sustinendam, efficaci oratione compulsi: et, quod admirandum est, quibusdam testimoniis ex Sibylla, et Poetis desumptis eis silentium inter disputandum imposuit.

Sexto, Dialectica, et Philosophia ad omnes bonas artes et scientias comparandas aptissima sunt instrumenta, et ad illas methodice explicandas, et aliis tradendas: quidni ergo ad Christianam Theologiam, et sacras literas edisserendas inserviant? Nunquid florentissimae

Philosophum scholae, et Academiae damnandae sunt, in quibus eiusmodi disciplinae et docentur, et addiscuntur? Nunquid Pii Principes, et Romani Pontifices, non solum tolerant, sed etiam gratis, favoribus, et privilegiis eas prosequentes condemnandi veniunt? aut nunquid Iulianus Apostata imitandus, qui literis, et eloquentiae Christianorum, in quibus ab eis superabatur, invidens, omnes scholas Christi professoribus claudi edixit? Idem olim suo seculo tentavit Ioannes Wicleffus, et nostro eius discipulus Lutherus, qui atrocibus contumeliis gloriosas Christiani orbis Academias, Parisiensem, et Lovaniensem, quae sibi magnopere adversabantur, et ex quibus tanquam ex equo Troiano magni, et excellentes viri prodire soliti sunt, tanquam earum capitalissimus hostis est persecutus: effundens enim acerbitatem animi sui, et linguam virulentam exerens, appellavit Parisiensem Sodomam, et Lovaniensem Gomorrham, et Romam Babylonem Papae.

Ad extremum, praestantiores Philosophi, ut Plato, Aristoteles, et alii celebres Scriptores quaecumque veritati consona, ac proxima acute dixerunt, ex nostris sacrarum literarum fontibus hauserunt, ut inter Veteres Patres, testantur Clemens Alexandrinus libro 6. Stromatum, qui totus pene expenditur, ut detegat furta Poetarum, Historicorum, et Philosophorum, et Tertullianus in Apologetico, et Ambrosius ad Simplicianum: et Chrysostomus in Commentariis super Ioannem, et Augustinus in libris De Civitate Dei: et Cyrillus in Iulianum, tradit Pythagoram, et Platonem in Aegyptum descendisse, ut ex fontibus Moysis doctrinam haurirent. Certe Theodoretus libro Stromatum Clementis producit, Aristotelem a Iudeo quodam, quem ut praeceptorem colebat, multa didicisse: idque testimonio Clearchi Peripatetici confirmat. Nec tantum ex Scripturis acceperunt, sed etiam ipsas sacras literas, et Alphabetum Graecum non aliis quam /333/ Phoenicibus, qui Hebraei erant, et eorum literis se debere profitebantur. Nam Hieronymo teste in Prologo Geleato in libros Regum, viginti duae enumerantur literae Hebraeorum, totidem etiam Syrorum et Samaritanorum. Certum quoque est, Esdras post reditum e captivitate Babe mutasse elementa: et cum eo usque communes essent characteres Hebraeis, et Samaritanis, ab eo tempore mutati sunt in Syros, quos etiam nunc habemus, Hebraei tamen lingua servata. Literae autem Graecae, et ipsae viginti duae sunt, et duabus additis a Graecis viginti quatuor. Nam in primis ordo literarum est idem: secundo nomina literarum fere eadem, ut aleph, beth, gimel, daleth, he, vau, zain, heth, teth, iod, caph, lamed: Graece vero alpha, betha [griech.], gamma, delta, ipsilon, zeta, eta, theta, iota, kappa, lambda, et cetera. Postremo, quod maiori est dignum admiratione, eadem sunt omnino in forma, et figura elementa Graeca, et Samaritana, et maxime capitalia, sive maiuscula literae Samaritanae, si transversa charta in qua scriptae sunt, inspiciantur. Lege Eusebium Caesariensem libro decimo de praeparatione

Evangelica, cap. secundo docentem, disciplinas omnes, artes, et Alphabetum ipsum a Barbaris, hoc est, ab Hebraeis ad Graecos derivatum. Et probat esse Alphabetum, qui a nomina elementorum apud Graecos nihil significant, apud Hebreos vero unumquodque eorum proprium habet significatum. Ut Aleph interpretatur doctrina: Beth, doum, Gimel, plenitudo, Daleth, tabulae, He, ista, Vau, et cetera.

Sed iam argumenta primo loco proposita diluenda sunt. Nam quod dicitur, prolixam esse viam per has disciplinas ad eam, quae in arce sita est, Theologiam, respondemus: quod non ob id commendantur istae disciplinae, ut toum vitae nostrae tempus absolvant: nam praeposterum esset ita meditari cursum, ut cum velis propter praemium currere, iam defatigatus, et viribus defectus non possit: vel, sicut in pulcherrima imagine, si tantum siteres oculos in pedibus contemplandis, et nunquam oculos attolleres ad decoram capitis foram contemplandam. Denique istae scientie degustandae sunt potius, ut aqua a Gedonis militibus manu collecta, quam a prostratis corpore ebibendae. Quamobrem posset homo duodecim annos natur, aut quindecim, quinque aut sex Logicae, et Philosophiae anno impendere, et totidem Theologiae, ut posset iam 25. aetatis anno ad alteriora Theologiae, et sacrarum literarum studia commode accerede.

Ad illud vero, quod est via prepostera, ratione scilicet velle indagare quae Fidei sunt: quod est perinde, ac per lucernam Solis magnitudinem intueri: dicendum est, rationes non adduci ad illa quae sunt Fidei, probanda, sed ad credentem confirmandum, cum videt, ea, que credebat, rationi minime dissentire: unde mirifice ex eo recreatur. Nec propterea talis assuetus rationibus indagandis minus fidei habebit, quia novit fidelis auctoritatem Dei dicentis esse supra omnem humanam rationem, et in tali assensu maiorem esse certitudinem et firmitatem, quam in rationis naturalis evidentia, quae interdum fallere potest. Est etiam maius meritum nostrum, et maior Dei gloria. Et sicut servis nostris mendacibus fidem nostram non accommodamus, ita Deo loquenti, etiamsi sine ratione loqui videatur, ratio ipsa praescribit maxime esse credendum. Hinc Cicero libro De Divinatione acute dixit: Maioribus nostris sine ratione dicentibus, rationis est credere. Tertio obiectum est, eiusmodi artes plenas esse erroribus, et mendaciis, ac proinde periculosas esse, et perniciosas. Respondemus, humana omnia talia esse suoapte ingenio, ut et veris, et falsis, et bonis, et malis sint permista. Et ideo simpliciter istae scientiae non sunt devorandae, nisi quatenus Scripturis, et verbo Dei non repugnat. Unde Hieronymus in Epistola ad Damasum de duobus filiis: 'Huius sapientia typus', inquit, 'et in Deuteronomio sub mulieris captiva figura describitur: de qua divina vox praecipit, ut si Israelites eam habere voluerit uxorem, calvitium ei faciat, ungues praefecet, et pilos auferat: et cum munda fuerit effecta, tunc transeat in victoris amplexus. Haec si

secundum literam intelligimus, nonne ridicula sunt. Itaque et nos facere solemus, quando Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientia secularis; si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus, si quid vero superfluum, de idolis, de amore, de cura secularium rerum, hac radimus: his calvitium inducimus: haec in unguium morem, ferro acutissimo desacamus.' Idem tradit in aliis locis, id est, in epistola ad Pammachium, et in epistola ad Magnum, Oratorem urbis Romae. Quemadmodum igitur Christus Regna non sustulit, sed fastum, et tyrannidem: quia eripit mortalia, qui Regna dat coelestia, et leges civiles, sive imperiales non abrogavit, sed eas correxit, ut consentientes essent Evangelio: quia /334/ 'Per me Reges regnant, et legum conditores iusta decernunt:' et templa non destruxit, sed idola, quae in eis colebantur, ut in eis in futurum Christus, et sancti colerentur: ita profecto Logicam, Philosophiam, et varias disciplinas humanas de Ecclesia non exterminavit, sed errores, mendacia, et abusus illarum submovit, usum vero integrum nobis reliquit.

Quod vero quarto obiicitur, viam esse obscuram, et tenebris obsitam, neque esse sapientis ab obscuris ad clara pertingere, sed potius e contrario: intelligant, humanas disciplinas, quatenus a ratione profectae sunt, et rationem ducem sequuntur, homini proprie convenire, et per eas manu duci ad ea, quae supra rationem posita sunt. Neque Scripturae tam apertae, et perspicuae sunt, cum superius demonstratum reliquerimus, eas multis, et gravibus difficultatibus esse implicitas, ut ad eas superandas cognitio bonarum artium, et disciplinarum non possit non summopere conferre. Quod vero per homines peccatores conditae sint, mirum non est: quia etiam per Balaam, et per Caipham, ac per malos homines loqui consuevit Deus quas voluerit veritates. Hinc David dixit: 'Diminutae sunt veritates a filiis hominum', sed non dixit, extinctae, aut omnino ablatae, sed imminutae, ob caligans rationis lumen: et naturalia in peccatore integra permanserunt. Et libri Philosophici non sunt combusti, sed magici et superstitiosi. Quod vero Apostolus dixit: 'Videte ne quis vos decipiat' (vel depraedetur) 'per Philosophiam, et inanem fallaciam', non simpliciter Philosophiam damnavit, sed inanem et vanam ad probanda ea, quae Fidei repugnant: ut animae mortalitatem, et quae Deo providentiam mundi subtrahit, et subdit Paulus: 'Secundum traditionem hominum', hoc est, quia dici solet, Hoc tenuit Plato, hoc asseruit Aristoteles, hoc sensit Zeno, aut Socrates. Sequitur, 'Secundum elementa mundi': quod est dicere, a rationibus, ac principiis humanis velle destruere, ea quae fide traduntur.

Quemadmodum ex illo principio, Ex nihilo nihil fit, volunt tollere creationem: et ex motus duratione, qui est actus entis in potentia, elicere mundi aeternitatem: et ex eo principio, quod oportet intelligentem phantasmata speculari, inferre, corrupto corpore, consequi animae mortalitatem: et ex eo principio, quod Dei intellectus vilesceret, si ad has inferiores res, et

viles, quae sub orbe Lunae versantur, oculos suos converteret, deducere, providentiam eorum apud Deum non esse. Haec enim sunt principia sapientum huius mundi, quae etsi aliquid veritatis habeant in his inferioribus, relata tamen ad supremam illam, et incomprehensam naturam, falsa sunt, et nihil certi ex eis deducere possumus. Quod vero ait idem Apostolus: 'Nemo se seducat: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens:' nihil contra nostram sententiam dicit. Sapientes enim huius mundi docti videntur in disciplinis humanis, in quibus didicerunt rationem de singulis exigere, et reddere. Hic stultus sit, cum fidem his, quae Christi sunt, habet, neque rationem eorum, quae fide credenda traduntur, reposit. Et ita erit sapiens: quia credere Deo dicenti, etiamsi rationem non reddat, maxime et invictae rationis est credere. Posset etiam dici, evadere sapientem eum, qui alios suae curae creditos regit, hac videlicet ratione, quia qui se quasi stultum alii permittit regendum, doctus evadit, et aptus, ut alios reagat: quia non est aptus ad regendum, qui non prius didicit obedire. Et quod iterum dixit Apostolus: 'Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi', non simpliciter illa damnavit, sed ostendit illam non posse videre, quae Deus potest facere. Qua ratione subiungitur: 'Quia stultum est Dei, sapientius est hominibus.'

Quod vero dixit Tertullianus, Philosophos esse Patriarchas Hereticorum, suum commodum sensum habet. Sunt enim in disciplinis humanis duo errores oppositi diligenter vitandi. Primus est, ne errores, et vitia quae interdum disciplinis humanis traduntur, propter nonnulla bona quae docent imbibamus. Ut enim terra aurum non profert, nec argentum sine scoria, et granum sine palea, et rosam sine spinis: ita illi ut homines quae noverant, non sine defectibus, et mendaciis tradiderunt. Alter est, ne propter mala, quae interdum docent, reliqua omnia, etiam bona negligamus. Abusus siquidem est uterque, quemadmodum etiam illorum sententias aequare Scripturae: nam ancilla sequi dominam, non praesire debet. Neque eorum dicta, vel rationes fidem gignendam proponendae sunt, sed potius ad vitam praemuniendam, et praeparandos eos ad Fidem, et ad ostendendum quod nulla vera ratio Fidei possit contradicere. Nec illae addiscendae sunt ad gloriam et ostentationem, et disputandi contentione, et acumen, sed pro veritate Fidei, et zelo Christi. Postremo non est in illis, sed per eas disciplinas ad meliora studia, et alteriora festinandum. Quod ergo quidam ex doctrina philosophica heretici evaserint, id illorum [/335/](#) vitio, et non disciplinis est tribuendum. Et quemadmodum Christus ab initio pauper, nudus, et crucifixus praedicari voluit, et ob eam causam simplices piscatores, et idiotas, divitiis, et eloquentia destitutos ad predicandum eligit: postea tamen voluit ad Fidem venire Reges, divites, et oratores, et magnos Philosophos, qui omnes artes, et disciplinas, abiectis earum defectibus, et erroribus, in Christi servitum transtulerunt.

Quod postremo ex Apostolicis constitutionibus productum est, illud iustum, et aequum fuit praeceptum, et tempori illi maxime conveniens. Paulatum tamen postea ubi viri magni omnibus disciplinis exculti in Ecclesiam ingressi sunt, ab illarum usu non abhorruerunt. Unde Damascenus libro 4. cap. 18. ubi proposuit Catalogum scripturarum, de externis scriptoribus ita loquitur: 'Si autem ab iis qui fortis sunt, decerpere quippiam utile valuerimus, non aspernabile est: efficiamur probati trapezitae, legitimum et purum aurum acervantes, adulteratum autem refutantes. Sumamus sermones optimos, deos autem ridiculos, et fabulas alienas, canibus proiciamus. Nam plurimam ex ipsis contra seipsos fortitudinem habere valebimus.' Haec ille, docens rationem, quam servare debemus in legendis libris Gentilium, et Philosophorum. Et ante eum Clemens Alexandrinus libro 6. Stromat. Philosophiam Gentibus a Deo traditam docet, veluti proprium testamen tum, ut sit tanquam fundemantum Christianae Philosophiae. Et subdit: 'Sed ut in tempore nunc venit praedicatione, ita in tempore data est quidem lex et Propheta Barbaris: (Hebraeis scilicet) Philosophia autem Graecis, aures assuefaciens ad praedicationem.' De qua realio loco plura dicenda erunt. Certe si rationem consulamus, plurimum momenti habent quaedam dicta, et facta Gentilium ad excitandos nos, et stimulandos, ut vel fidem nostram rebus Evangelicis promptus accommodemus, vel vitiorum occasionem, et fomenta diligentius subtrahamus, vel merita virtutum, quae nobis praescribuntur, alacrius exerceamus. Hinc Dominus Centurionis fidem commendavit, ut Iudaeorum perfidiam taxaret: exemplo Ninivitarum urgebat ad poenitentiam negligentes Iudaeos: et reditu Leprosi Samaritani, et a Christo mundati, ad gratiarum actionem invitavit ingratos Iudaeos: Misericordia vero viduae Sarephthanae Helisaeum ignotum domi excipientis, ad hospitalem stimulabat. Pungebat ad auditum verbi Dei exemplo Reginae Sabae, quae profecta est a finibus terrae audire sapientiam Salomonis: tacite admonebat ad divinae studium Scripturae, producendo exemplum Eunichi Candaces Reginae Aethiopum, qui etiam dum curru veheretur, legebat Isaiam prophetam. Documento Cornelii Centurionis, et eleemosynas, ad bonorum operum exercitium inducebat. Denique cum Dominus dicebat: 'Nonne et Ethnici hoc faciunt?' Et Apostolus cum inquit: 'Si igitur praeceptum iustitias legis custodiat, et cetera' ad Divinae legis observantiam cohortabatur, et incendebat. Et hactenus de disciplinis humanis.

Prolegomenon XVIII.

An studium Scholasticae Theologiae opem et adiumentum adferat ad sacras literas facilius percipiendas, et aliis interpretandas

Tertia Expedienda est veritas. Scholasticam Theologiam non posse iure quasi inutilem, et supervacaneam reprehendi ab Haereticis, si iustos iudices se prestare velint, ex multis evincere possumus. Commendatur enim illa in primis ab antiquitate: quia ante quingentos annos vigere coepit etiam post alia genera theologizandi. Solent enim posteriores curae meliores esse, ut habet Graecum proverbium. Et profecto si rationem rectam subducamus, ortum ab ipso Christo haec Theologia accepit. Nam etiam cum puer esset, in templo interrogans, et respondens disputavit, atque omnes in eius responsis, et verbis obstupuerunt; grandior vero cum Phariseis, scribis, et Iudaeis multas disputationes habuit, sequitur Messiam, et plus quam hominem, et Filium Dei simul et David esse probavit: licereque in Sabbato sanare hominem, si in eo licebat accipere circumcisionem, et Sacerdotes violabant Sabbatum sine crimine, et licebat aquatum ducere bovem, et iumenta. Stephanus, et Paulus egregii fuerunt disputatores, et adversantium ora obturabant, differentes de Messia, de lege, de Praedestinatione, de Gratia, et libero arbitrio, de fide, et operibus, de matrimonio, de resurrectione, et multis aliis mysteriis. Apostoli omnes primum cum Iudaeis, deinde cum Gentibus, ad quas missi sunt preclaras, et singulares disceptationes iniverunt, atque inde gloriosum de mendacio semper triumphum reportarunt, maxime vero Petrus, qui cum Simone Mago multis [/336/](#) in locis magna sua cum laude decertavit, ut lib. Recognitionum tradit Clemens. Est ergo haec Theologia Scholastica, hoc est disputatrix, orta a Christo et Apostolis, et viris Apostolicis. Deinde Commendatur a sanctitate Patrum, et eorum singulari doctrina, qui illa studia coluerunt, ut B. Thomas, et B. Bonaventura, Albertus Magnus, et Alexander Halensis, Petrus Lombardus, qui primus sententias Theologicas compilavit, et denique B. Augustinus, et Damascenus: ex quorum fontibus omnes scholastici potarunt, ut videri possint omnium eorum qui Theologiam profitentur, parentes.

Tertio loco laudem sibi vendicant ab approbatione Ecclesiae, quae in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Petri Lombardi, et Episcopi Parisiensis scripta approbavit: quemadmodum etiam beati Thomae Aquinatis libri per Christi Vicarium Urbanum VI. et Innocentium V. confirmati sunt.

Quarto, nobis haec ratio Theologiae comprobatur ex eo, quod Ecclesia in hac disceptatoria palaestra concedit studiosos viros ad Doctoratus, sive Magisterii gradum promoveri, quo possint Scripturas sacras interpretari, et Ecclesias sibi creditas maiori cum fructu regere. Nam ut per Concilium Tridentinum optime prospectum est, nemo ad Episcopatum venit eligendus, nisi qui lauream Theologiae, sive sacrorum Canonum sit assecutus.

Quinto, commendabilem se reddit a multis quos edit fructibus. Habet enim breviter in altissimis Fidei mysteriis explicandis, et compendium eorum quae Patres longissimis

voluminibus, et tractatibus disputarunt: legitimam, et solidam multarum Scripturae sententiarum profert interpretationem. Illam etiam exhibet commoditatem, ut dissidentes Patrum opiniones optima ratione, et methodo conciliet: cote disputationis in utramque partem (ut soliti erant olim facere Academici) omnia dicta, et dictorum rationes ad vivum resecat: omnibus Fidei Catholicae adversariis, et capitalibus hostibus resistit contra Iudaeos, qui scripturas tantum veteris legis recipiunt: et contra Paganos, qui nullas scripturas admittunt, sed tantum rationum momenta, et suorum scripta Poetarum, Philosophorum, et Historicorum pulchram methodum, ac rationem docet. Qua ratione etiam Haereticis sit decertandum, qui utriusque testamenti paginam, et traditiones Apostolicas, et sententias, et conciliorum Oecumenicorum decreta, Pontificum sanctiones admittunt, exerte tradit. Atque id in laude huius Theologiae reponendum quod nulli magis insenso, et adversarios se illi prebeant, quam Haeretici: quia illa una, eorum falsa dogmata revincuntur, et iugulantur. Et hoc laudibus B. Thomae adiugendum, quod impius Lutherus eum inter septem phialas irae Dei connumeravit. Proinde Haeretici dant operam, ut Scholastici de Ecclesia excludantur, non secus atque olim Philippus Rex Macedonum cum Athenas obsideret, nec voti sui compos esse posset, simulans pacem a civitate postulavit ea lege, ut sibi sex urbis Senatores traderentur: inter quos cum unus esset Demosthenes, eius technam eleganti apologo detexit. Finxit enim, olim lupos cum ovium pastoribus convenire voluisse, ac promisisse se nihil in gregum eorum caulas machinatuos, modo paucos canes de gregis custodia pellerent, vel eos neci darent. Ita detectus est ac delusus Philippi dolus.

Denique inter alias multas utilitates, illa non est contemnenda, quod scholastica Theologia instructi, intra breve tempus illud assequuntur, ut noverint qua ratione de Deo, ac de eius incomprehensibilis natura, atque operibus, deque altissimo Trinitatis mysterio, id est, de distinctione sacrarum Personarum, et de earum communi substantia, et deitate, de Incarnationis arcano, deque Praedestinationis, et Reprobationis adytis, atque de aliis multis Fidei Sacramentis, et fide sentiendum sit, et ore pronuntiandum. Quomodo item hereses circa illa magna arcana olim ortae declinandae sint, atque adeo qua via sint explicandae, et aliis cum fructu proponendae et confutandae. Sed iam quae in hoc genus Theologiae ab Haereticis obiiciuntur, refellenda sunt. Certe Erasmus multis iniuriosis verbis, et atrocibus contumeliis illud est consecutus. Principio itaque multi vitio vertunt, quod huius facultatis professores barbaram loquendi, et scribendi rationem consecutentur, multasque voces minus Latinas usurpent.

Quibus brevi responderi posset, Regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute: et eius professores dicere posse cum Apostolo: 'Etsi imperitus sermone, non tamen scientia.' Etenim

hoc commune est omnibus artibus, quae corpus, vel animum concernunt, ut multa indies nova vocabula rebus imponere cogantur: quid mirum igitur est id fieri in Theologia, cuius res primo erant ignotae? Et cum plures sint actiones, et res quam voces, crescente earum numero, necessarium fuit nova vocabula excogitari, quae eas nobis commode representarent.

/337/ Nemo ignorat, Ciceronem Physicas quaestiones tractantem, id cum laude ausum fuisse facere, ut libro de Finibus confitetur. Id etiam apud sapientes observatum fuit, ut magis rebus quam verbis intenderent. Unde illustres quidam Philosophi, ut Socrates, Anacharsis, Diogenes, et Crates, eloquentiae studio non vacarunt, ut indicat illa Socratis ratio, quae simplicissima fuit, quam coram iudicibus habuit: quam eloquentissimus discipulus Liasis eloquentiae pigmentis, et phaleris, etiamsi maxime posset, exornare noluit. Plato etiam cum Aegyptios, et Chaldeos inuisit, non ad eloquentiam, sed ad sapientiam addiscendam peregrinatus est, quaerens aurum in fodinis terrae, etiamsi sordida terra permistum, et margaritis conchis affixas in profundo gurgite delitescentes.

Deinde obiiciunt multas quaestiones inutiles agitari, quae potius pietati officiant, quam deserviant, quaeque ab Apostolis non sunt attactae. Respondemus, quod a principio non expediebat tradi quaestiones, vel proponi res dubias, sed certa tantum ac indubitata, et quasi principia quaedam indemonstrabilia: et Fide recepta, et promulgata, subortique tot haereseon autoribus, Fidei dogmata perverse interpretandibus, Gentilibusque ac Philosophis varios errores ferentibus, Iudaeisque humana doctrina, et somniis Talmudicis tumentibus, opus fuit ad dogmata Fidei tuenda eorum nodos dissolvere, et cavillos confutare: quod fieri nequaquam potuit, nisi productis illorum dubitationibus, et discussis eorum sensibus, qui in controversiam venerant, aut venire poterant: quod antiqui quidem Patres latiori, et elegantiori oratione, Platonem imitantes, Scholastici vero dialectico, et contractiori sermone Aristotelem aemulantes praestiterunt.

Tertio, durum quibusdam videtur, quod de profundissimis, et altissimis mysteriis disputatio ineatur, cum potius essent veneranda, quam questionibus curiosis scrutanda. Sed si haec ratio quicquam ponderis haberet, damnandi pariter essent multi Sancti, et praesertim Ioannes Evangelistae vere Theologus, qui contra Ebionem haeticum intonans dixit: 'In principio erat verbo' et Paulus, qui subtiliter de Lege, et de Evangelio, libero arbitrio, gratia, praedestinatione, ac reprobatione disseruit: et Iacobus de Fide, et operibus. Denique veteres Patres doctrina, et sanctitate conspicui, ut Basilius, Gregorius Nazianzensus, Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, et Augustinus, accusandi essent, quod multa subtiliter de Trinitate, et providentia Dei, et Incarnatione disputarunt, quo Fidei dogmata ab importunis Haeticorum calumniis vindicarent.

Quarto molestum est, aiunt quidam, quod tot, ac tam frequentibus, ac frigidis distinctionibus, quae Patribus ignotae extitere, Scholastici uti consueverint. Sed certe veteres eiusmodi distinctiones non ignorarunt: et scriptura in faciem sibi contradicens sine illis nequit intelligi: Et ut scriptum est, 'Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.' Propterea stultitia Haereticorum Catholicos scriptores ad tot distinctiones excogitandas, quibus nodos eorum dissolverunt, dubia evacuant, et perplexa explicarent, compulit. Et certe illis explosis omnes disciplinae, tam sacrae, quam profanae, tenebris essen obsite, et confusae, nex nostra ab haereticis impugnantibus defendi possent.

Quinto, ingratum est quibusdam, quod de certissimis, et exploratissimis rebus dubitetur, ut, an Deus sit, an trinus et unus, et an intellectu sit praeditus, et providentia, an possibile, ut conveniens esse Deum incarnari, et similia. Sed de his, et quae sunt huiusmodi, non disceptant Catholici Theologi tanquam de rebus ambiguis, et problematicis inter fideles, sed tanquam de certissimis, et divina autoritate exploratissimis. Quamobrem dum proponunt illa ad disceptandum, hoc agunt, ut quomodo apud adversarios causam acturi simus, non intruant, quo ad reddendam rationem paratiores sumus de ea, quae in nobis est spe, et Fide: et intelligamus, nullam rectam rationem pugnare cum Fide nostra, quia idem est autor Naturae, et Legis, et Gratiae. Sunt tamen quaedam inter Catholicos problemata, quae ad Fidem non spectant, in quibus quisque sine periculo eam quam magis probat, sequi potest sententiam. Atque haec discrepantia, Fidei non nocet, sed ad uberiores doctrinam, et ingeniorum exercitationem, et ad ampliores Scripturarum, et Patrum intellectum, maxime facit. Et licet omnes inter se non conveniant, mirum esse non debet: quia nec Augustinus cum aliis antiquioribus, aut cum Hieronymo, aut aliis qualibus, aut cum se ipso interdum conveniebat.

Sexto obiicitur, immodice quaestiones ingeri, et ex quaestionibus quaestiones feri, ita ut nullus sit contendendi finis. Respondeo, hoc vitium esse non artis, vel methodi, sed abusus hominum, qui optimis quibusque abuti consueverunt. Et idem in omnibus aliis artibus, et scientiis usu venit, in quibus artis praecepta non observantur. Nos ergo ex illis [/338/](#) colligamus roas relictis spinis, et granum legamus contemtis zizanis, et mel elicto favo.

Septimo, indinum videtur Theologiam cum Philosophia misceri, quasi lumen divinum humano, et fallaci comprobari valeat, aut quasi lumen Solis exiguo lucernae lumine opus habeat. Respondeo, Theologiam, et Philosophiam inter se non pugnare. Est enim Theologia, notitia cum nonnulla ratione coniuncta rerum cum divinarum, tum humanarum, quae nobis non sunt evidentes. Dicitur notitia cum nonnulla ratione coniuncta, ut distinguitur ab habitu Fidei, quo res revelatas immediate apprehendimus, etiam si nulla ratione fulciantur. Deinde Philosophia, evidens est, aut saltem probabilis notitia rationibus adiuncta rerum tum

divinarum, tum naturalium, et humanarum, vel ex mentis solo naturali lumine, vel ex sensibus comparata: et ita Philosophia complectitur omnes scientias humanitas acquisitas. Distinguitur autem a Theologia per hoc, quod Philosophia est evidens, aut solum probabilis notitia per rationem naturalem, aut per sensus parta. Atque ita homines mentis compotes capaces sunt Philosophiae, quia nullus est, qui rerum, et causarum suarum cognitione prorsus destituatur, praeter inanima, et ea animata, quae ratione carent. Proinde omnes homines supite natura sunt Philosophia, sed plus minus ve pro ingenii facultate, vel studii diligentia. Ex quo patet, Theologiam cum Philosophia minime pugnare, quia utraque cognitio est, et utraque a Deo est profecta. Sed prima, hoc est, Theologia immediate, et per revelationem, unde nec lumine nature comparari potest, altera vero media natura ab ipso Deo nobis porrigitur: 'Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur,' et reliqua, quae in eum sensum ab Apostolo dicuntur. Hinc est, ut unus et idem utriusque possit esse possessor, et dominus: ut Moses, et Daniel eruditi tum in sacris literis, tum in omnibus Aegypti, et Chaldaeae [sic!] disciplinis. Quia vero humana divinis, ut inferiora superioribus subiiciuntur: hinc est, ut Philosophia Theologiae subdatur, quamadmodum servi optulatur, et utiles sunt domino suo. Ob eam potissimum rationem, quod quae lumine naturae agnoscimus, clariora sunt, et evidentiora nobis, quam quae lumine Fidei apprehendimus, quae in se quidem, et absolute certiora sunt, cum nulla sit veritas certior quam illa ipsa, quam divina veritas per se ipsam prodit. Tamen cum non omnia credenda expresse revelata sint, sed multa ex revelatis consequantur, nec ipsa revelata sint aequae dilucida, et perspicua, sed pleraque multa indigeant declaratione, quae nisi perscrutatione, et ministerio intellectus ratiocinantis, atque illas invicem conferentis, et explicantis, non comparatur, constat, humanam facultatem, et notitiam ab illa partam optulari, et deseruire Theologiae. Sine autem Philosophiae, et humanarum disciplinarum ministerio certum est, nec Athanasium, nec Basilium, nec Gregorium Nazianzenum, nec Hilarium, aut Ambrosium, aut Augustinum tot libros de Dei una natura, et personarum distinctione, ad revincendos haereticos componere potuisse. Et si perspicacius animum intendas, deprehendes Scholasticam Theologiam mediam esse inter habitum Fidei, et alias disciplinas, et scientias humanas. Nam ut habitus Fidei, et Sacrae literae, quibus nitimur, totae divinae sunt, aliae vero disciplinae, et scientie totae lumine humano nituntur, et fulciuntur: ita Theologia media est, et partim divina, et partim humana. Divina quidem, quia sacras Scripturas, quae divinitus datae sunt, edisserit, et illas pro principiis habet: humana vero, quia ex principiis revelatis lumine rationis naturalis, vel fidei conclusiones multas deducit.

Postremo argumentantur, dicentes, hoc genus disputandi in tradenda Theologia ignotum Patribus fuisse. Sed ut demus haec ex parte ignota Patribus fuisse, certe haec methodus peraccommodata est ad res brevius explicandas, et ad dubitationes quae contra fiunt evacuandas sine multis verborum ambagibus [sic!], vel coloribus Rhetorum, res ipsas ut se habent, declarans: apta etiam ad Haereticos revincendos, ut propterea cogitari possit a Deo inspirata. Est igitur duplex Theologiae genus, alterum loriatum, seu galeatum, clypeum gestans, et hastam: clypeum quidem, ad hostis tela excipienda, ne laedant; hastam vero, ad errores eorum iugulandos, et expugnandos. Unde olim Poetae Minervam, quam Sapientiae numen, et Pallada vocabant, armatam galea et thorace, et framea ad hoc designant dum effinxerunt. Alterum genus Theologiae genus est inerme, et mitius, quod in campum ad congregandum cum hoste egredi non valet, quodque omnibus fidelibus, etiam parvulis, congruit, quorum non est de Fidei mysteriis, vel Theologia Christiana disputare: nam alioqui omnes pueri, et muliercule, cerdones, et agricole Theologi /339/ essent, quod nemo sanus diceret. Et multum interest inter habitum Fidei, et habitum Theologiae; nam ille omnibus Fidelibus communis est, iste vero non nisi eorum, qui profitentur Theologicas disciplinas. Nemo ergo studia Scholastica, et exercitia contemnat: quia sicut gymnastica arte corpora firmiora, et robustiora redduntur, de qua Poeta:

'Corporaque agresti nudant praedura palaestra,' Ita literaria palaestra ingenii vires vegetiores, et robustiores reddit ad propugnandam Fidem, et ad fraudulentas haereticorum technas expugnandas. Atque haec sint satis de studio Scholasticae Theologiae.